



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Catechesis Pverilis**

**Melanchthon, Philipp**

**Lipsiae, 1543**

**VD16 M 2628**

Sunt ne infantes baptisandi?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-33561**

tam esse salutem propter Christum, uerè sanctificari, ac iuuari à spiritu sancto.

**Sunt ne infantes baptifandi?**

**R**espondeo, Infantibus baptismum necessarium esse, quia mandatum Christi est uniuersale, Ioannis 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & spiritu, non potest ingredi in regnum Dei. Ergo etiam infantibus opus est baptismo, ut saluentur. Hec ratio ducta ex uniuersali sententia satis facit pijs, & tenenda est aduersus fanaticos homines, qui improbant baptismum infantium. Sunt & plura argumenta utilia conscientijs.

**Nemo saluatur extra ecclesiam.**

**Infantes aliqui sunt saluandi,**

**Ergo necesse est eos insertos esse ecclesie, & applicari eis primum sacramentum.**

**Maior est manifesta, quia ubi non est uerbum Dei aut sacramentum, ibi non datur spiritus sanctus, quia datur per uerbum & sacramenta.**

**Minor etiam manifesta est, quia Christus clarè pronunciat de infantibus in populo Dei, Non est uoluntas patris, ut pereat unus de par-**

de par-

de paruulis istis. **Cum** igitur testetur infantes illos saluos fieri, qui sunt in populo **Dei**, non alios extra ecclesiam, sequitur necessario inserendos esse ecclesie. **Confirmat** eandem **Minorem** & alia sententia **Christi**, uidelicet, **Uenite** paruulos uenire ad me, talium est enim regnũ cœlorum. **Et** loquitur de infantibus in populo **Dei**. **Ergo** testatur aliquos infantes saluos fieri, & quidem illos qui sunt inserti ecclesie.

**Tertium.** **Non** est remissio peccatorum sine ministerio uerbi & sacramentorum.

**Infantes** habent opus remissionis peccatorum,

**Ergo** infantibus applicandum est ministerium sacramentorum.

**Maiorem** confirmat hæc sententia, **Ioannis** uigesimo, **Quorum** remisistis peccata, remittentur eis etc. **Minorem** confirmat **Paulus** **Roman.** 5. & **Ephes.** 2. **Ubi** testatur infantes secum afferre peccatum originis, hoc est, reatum & corruptionem nature.

**Quartum** argumentum. **Promissio** **Euangelij** pertinet ad infantes,

**Ergo** & sacramentum, quod est testimonium promissionis & signum quod significat applicari promissionem.

**Conse**

Consequentia ualet, quia ad quem pertinet promissio, quæ est principale, ad eundem pertinet signum quod est nota promissionis. Antecedens manifestum est, quia infantes non nisi propter Christum saluantur. Et ipse inquit, **U**nite paruulos uenire ad me.

**Q**uintum, Circumcisio in ueteri testamento erat necessaria infantibus, ut significaret ad eos pertinere promissionem gratiæ, uidelicet, **E**ro **D**EVS eorum, & ut insererentur populo **D**ei.

**E**rgo baptismus in nouo testamento est necessarius infantibus.

**V**alet consequentia, quia significatio conuenit, quod attinet ad promissionem gratiæ. **E**t **D**eus uult esse efficax per uerbum & sacramentum.

### Quid significat baptismus?

**S**acramenta principaliter sunt signa promissionū diuinarum. Quare præcipuè significat baptismus promissionē euangelij, quod propter Christum donetur nobis remissio peccatorum & spiritus sanctus. Itaq; **m**erisio significat ablui peccata, & mergi in morte